



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Carminvm Iacobi Albani Ghibbesii, Poetae Lavreati
Caesarei, Pars Lyrica**

Gibbes, James Alban

Romae, 1668

Ad S. Thomam De Villanova, Archiepiscopum Valentinum, cognomento
Eleemosynarium. Ode XIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13378

Magnum decoro dic patrum gradu ,
 Factis, ut alto sanguine, proximum
 Sequi nepotem : rector alter
 Orbis erat, regit alter urbem ,
 Verum Quirinus cui vice Felsinæ
 Nomen dedisset, fertilis ingenî ,
 Morumque lectorum magistræ, ac
 Hesperijs sapientum Athenis .
 Longa illa sacri munera Gregorii
 Omitte : in vno fistito pignore ;
 Ac plaudere diuino parenti ,
 Palladium statuisse Romæ
 Exinde captum : cui, vigiles vti
 Seruabat ignes virgineus chorus ,
 E flore Loyolæ dicauit
 Mercuriale genus, ministros ;
 Centum tenerent qui decus artium .
 Huc struxit ædes regificâ manu
 Cautus superbas, ut rediret
 Socratici facies Lycei .
 Iamque hic auitæ dignus adoræ
 Succrescit hæres . Quam benè murice
 Ardet coloratus recenti !
 Quantus init numerum Senatus !
 Tu verò faustâ sorte beatior
 Lætare, doctæ maxime Palladis
 OLIVA, custos : auspicato
 Nomina sic coiêre signo .

AD S. THOMAM DE VILLANOVA,

Archiepiscopum Valentini, cognomento Eleemosynarium.

ODE XIX.

O Valentinâ speciose mitrâ ,
 Inter at cœli proceres videri

Pulchrior, cuius radiata formam
Gloria vestit ;

Augeas, THOMA, nouus usque lucem a

Lætus & sacros repares triumphos :

Causa dicetur ; Miseri leuamen

Mite clientis .

Pauperum patrem celebramus omnes ,

Cordis, ac dextræ memores apertæ ;

Pauperes patrem solitæ rogamus

Pignora curæ .

Rector, an vilis fuerit popellus ,

Interest Diuini nihil ; æquat axis

Suplices ; quandoquæ petunt, egenos

Ambo fatentur .

Sicut enim agitatus vndis

Nauta conuexi videt astra puri ,

Spectat extorris Superos viator

Hac vice rerum .

Ortus est quisquis genitrice terrâ ,

Indiget cœlo fragilis benigno ;

Vitis in mōrem, latus ambientis

Coniugis vñmi .

Vos manus, Diui, date : tuquè, Sancte ,

Arca cognomen cui laxa fixit ,

Subleua nostram stipe paruitatem

A Etheris alti .

Aureâ tecum potiamur vrbe ,

Aureâ læto cumulare gazâ

Sortis expertes, propriumquæ lassis

Ferre cubile .

Interim sacræ Solymæ futuros

Incolas muni bonus efficaci

Gratiâ, nequod dubijs periculum

Gressibus obstet .

Tu potes miras properare messes ;

Frugibus mentes onera decoris :

Tu potes fluxos cohibere neruos ,

Cor quoquæ fræna ,

Præ-

Præfulis scimus vigilantis artem ,
 Nôste sublimem cupimus patronum ;
 Omnibus, quicquid voluere, cedes
 Omnia factus .
 Iure te talem veneratur orbis
 Per coronatas genialis aras :
 Et canit dulci chorus ore præsens
 Non sine plectro .
 Nos Deo semper resonemus vni
 Gloriam patri, sobolique laudem ,
 Flamini sancto decus, hinc in omne
 Temporis æuum .

LAVDES BERNARDINI
CARD. SPADAE.

ODE XX.

AReu, & sagittis, & pharetrâ suum
 Armare yatem, more Cupidinis ,
 Phœbus renidet . Vos, Camœnæ ,
 Figite, quod iaculemur album .
 Rident colorem : purpureus mihi
 Stat meta pannus . Non ego risero
 Contrà, tuus si, SPADA, candor
 Oebalium superauit ostrum ?
 Ergò decoro pectora vulneri
 Aduersa præbe, solus & integrâ
 Absume messem spiculorum ,
 Totquè tuos numera triumphos .
 Cui mitto primam laudis arundinem ,
 Marti, an Mineruæ ? cedere nescius
 Vterque cerratim laborat
 Ambiguam retinere dextram .
 Scribēris heros fortis & arduus
 Docto Loyaco : Gallia fuggerit ,
 Tellusquè Saturni, stupenda
 Indomiti monumenta cordis ?

Hæc